

IUSTI LIPSI
DE CONSTANTIA
LIBRI DVO,

Qui alloquium præcipuè continent
in Publicis malis.

Ultima editio, castigata.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.

M. DC. V.

Cum Privilegiis Casareo & Regio.

PRO CONSTANTIA MEA
PRÆSCRIPTIO.



QUOD in iteratâ hac editione, iterum te alloquor, Lector, præter votum meum accidit, et si non præter opinionem. Iudicia enim ista prævidi antè, imò prædixi. Negant satis piè hoc argumentum à me tractatum: negant locis aliquot satis verè. Parum piè idè: quia Philosophum egisse tantum videor, inquit, nec inspersisse quæ potui & debui è libris sacris. Quæ admonitio valde mihi grata: velim & illis simplex meum & sine fucore sponsum. Nam quòd apertam pietatem ante omnia requirunt, amo: hoc tantum moneo, ut oculos prius serio intendant in finem meum & scopum. Si mihi Theologum agere propositum, aberravi: si Philosophum, cur culpant? Haurimus enim è lacunis, inquit, quæ liceat è purissimo diuinarum litterarum fonte. Hucne me vocant? At ego ex animo testor & respondeo, nõ aliam me viam salutis nosse, quàm hanc quæ per unum illum & directum litem ducat: ad quem tamen percurrendum, humanas etiam litteras laxamenti aliquid afferre censeam, imò adiumenti. Augustini consilium esse scio, quæ à Philosophis scripta sunt colligere, & in usum nostrum vindicare, possessoribus illis iniustis erepta. Hoc sequi volui: &

L L I P S I
D E C O N S T A N T I A
L I B E R P R I M V S.

C A P V T I.

*Præfatio, & introductio. querela item aliqua
de Belgarum turbis.*



N T E annos aliquot cum Viennam Austriae iter haberem, fugiens patriæ meæ turbas: deflexi, non sine deo duce, ad * Eburonum urbem. quæ nec longè à viâ; & in quâ amici, quos salutare more suadebar & amore. Inter eos Carolus Langius, vir (sine fraude aut ambitione dicam) optimus doctissimusque Belgarum. Qui cum me hospitio excepisset; non omni solum comitate & benivolentiâ id temperavit, sed eo genere sermonum qui utiles imò salutares mihi in omne ævum essent. Ille enim fuit, ille vir, qui oculos mihi aperiret, detersâ vulgarium aliquot opinionum nube: ille, qui viam ostenderet, quâ sine ambage peruenirem, ut cum Lucretio loquar, ad illa

Edita doctrinâ sapientum templa serena.

Nam cum post meridie feruido sole (præcepit enim iam mensis Iunius erat) domi eius in atrio inambularem: quæsiuit, ut sit, blandius de itinere meo & eius causis. Cui cum ego de turbis Belgarum, de insolentiâ Præfectorum & militum, libere & verè multa dixissem: addidi postremò, prætexi à me aliam, sed hanc intimam esse discessus mei causam. Quis enim Langi, inquam, tam firmo & tam ferreo pectore, qui diutiùs ferendis iis malis sit? Iactamur iam tot annos, ut vides, bellorum civilium æstu: & ut in undoso mari, non vno vento agitamur barbarum seditionumque. Otium mihi cordi & quies? tubæ interpellant, & strepitus armorum. Horti & rura? miles

* Leodinus intellego.

C. Langij vera laus.

Humanitas eius.

Sapientia.

Mala civilia bellorum.